



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 76. Quidam ex conjuratis capti, ac puniti, & Renaudius trucidatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

*Quidam ex conjuratis, capti ac puniti,  
& Renaudius trucidatus.*

Interea res ita componebatur, ut quidam nomine Malinius secum sexaginta selectos nobiles ad Condæum adduceret, cum vero pauca ibidem essent hospitia, eos in locis subterraneis atque hordeis occultare oportuerat: insuper alius quidam, cujus tamen nomen ignoratur, cum triginta ejusmodi Nobilibus Ambasiam venire jubebatur, qui etiam omnes in arce fuere collocati: Renaudio autem, quem præcipui Duces Castellnous, & Mazera secuturi erant, loco, ubi conjurati convenirent, mutato injunctum fuit, ut sub vesperam pridie illius diei, ad quem conjurationis executio indifta erat, Nocæum haud procul ab Ambasia cum ceteris copiis contenderet, easque altera die summo mane in urbem immitteret, ipsemet vero circa horam prandii oppidum ingrederetur: cum autem eidem nuntiatum esset, quod suorum non pauci in sylva intercepti & manibus ad equorum caudas alligatis, velut trophæum Ambasiam abstracti, pluresque unacum ocreis & calcaribus suis, prout capiebantur, ad arcis pinam suspensi fuerint, ac duplicatis ubique excubiis supremum



Sæcul. XVI. exercitus imperium, necnon Regni ad-  
A.C. 1559. ministratio Guisio Duci a Rege fuisset  
 delata, acceptis hisce nuntiis Renaudius summa, qua poterat, celeritate accurrebat: verum Castri-Reginaldi sylvam prætervectus a Pardillano Avunculo suo Guisianæ Familiæ addictissimo, quem Rex cum delectis equitibus ad capiendos conjuratos submiserat, comprehenditur: moxque Pardillanus Renaudium adesse intelligens, illum sclopeto suo petit, eo autem ignem non concipiente, dum alterum sclopetum explodere parat, a Renaudio mox gladio transverberatur, eodem vero momento Pardillani famulus, qui a tergo Heri sui subsistens catapultam globo plumbeo instructam tenebat, Renaudium trajecit, cujus corpus in urbem delatum, atque in patibulo ad pontem erecto suspendebatur, ejusque colo scheda appensa fuit, cui hæc verba: *Rebellium caput*, erant inscripta, postquam ergo diu confluentis populi spectaculo expositus erat, corpus ejus in quatuor partes dissectum, ejus vero membra variis in locis extra urbem palis affixa exponebantur.

## §. LXXVII.

*Secretiora a Bigna Renaudii Secretario tum capto prodita.*

In